



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

5. De Exaltatione Angelorum in Natiuitate Domini, eiusdemque
adoratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

cunq̄ue illatæ de manu Dei electis omnia mala in bonam conuertentis sunt acceptandæ? Admiratio, resignatio.

III. Quantus fuerit dolor, clamor, eiulatus, quàm irremediabiles lacrymæ matrum, quarum corda eodem, quo filiorum corpuscula, crudeli ferro transigebantur? quantò sanctiores B. Virg. compassionis lacrymæ, ex audito tam lamentabili spectaculo obortæ? quantò demum diuiniore lacrymulæ Christi infantis, horum omnium lacrymulas internosque dolores, omnes singulorum istorum infantium, imò omnium futurorum Martyrum persecutiones, cruciatus, mortes clarè inuentis, ex intimo compassionis affectu profusæ? Quàm heroica simul resignatio in sanctissimum beneplacitum æterni Patris hæc omnia ad maiorem suam Electorumque gloriam, ex inscrutabili diuinæ sapientiæ suæ abyssu permittentis? Compassio, admiratio diuinorum iudiciorum, resignatio.

De exaltatione Angelorum in Natiuitate Domini, eiusdemque adoratione.

I. **E**Xpende, quanta exultatione &
E ad-

admiratione omnes Angelorum hierarchiæ Verbum æternum nuper incarnatum, nunc in lucem editum, & in præsepio collocatum, è cælo empyreo suspexerint; quanto tremore & reuerentia filium Altissimi sic se humiliantem adorarint; quanta demissione eidem, ceu Domino & Regi suo se submitterint, eius supremum in omnes dominium humiliter agnoscentes, diuinam Maiestatem submissè venerantes, & debita obsequia sua reuerenter eidem offerentes, atque ita implentes æterni Patris decretum, de quo Apostolus:

Hebr. i.

Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius. In affectibus his exercentis Angelos æmulare.

II. Quàm promptè omnes Angelici spiritus, cum Regem ac Dominum suum humanos artus indutum, ab hominibus non agnosci, nec debitè excipi, sed omninè negligi cernerent, obtulerint se æterno Patri ad manifestandam mundo eius infinitam dignationem, maiestatem, gloriam. quanta alacritate & gaudio omnes in terras reipsâ id præstaturi descendissent, nisi hoc officium celestis Pater certis quibusdam demandasset, reliquos è cælo eundem adorare iussisset.

Simi.

Similem zelum Christi gloriam propa-
gandi, eiusque cognitionem, amorem,
cultum hominibus inculcandi excita,
offerendo te ei cum Propheta Isaiâ: *Eccce*
ego, mitte me, desiderans instar Seraphi-
norum totum mundum peruolare, &
voce grandi intonare: *Sanctus, sanctus,*
sanctus Dominus Deus exercituum, regnans
in cœlis, & vagiens in cunis: plena est
omnis terra gloria eius, quæ quò magis
occultata fuit in vili stabulo, eò magis
nunc dilaturatur in toto mundo.

III. Quanta deuotione, quanta sub-
missione omnes Angelorum ordines,
cùm simul in terras descendendi, & ho-
minibus gloriam tanti regis prædicandi
facultas negaretur, certarim omnes cœ-
perint suspicere, laudare, & glorificare
infinitam Verbi incarnati, in vlnis Ma-
tris vagientis, in præsepi præ frigore
tremementis maiestatem, potentiam, sapi-
entiam, sub velo tantæ humilitatis, tan-
tæ imbecillitatis, tantæ ignorantia lã-
tentem, infinitam eius in homines tam
ingratos charitatem, bonitatem, libera-
litate: item sublimissimas sanctissimæ
humanitati eius cõcessas prerogatiuas,
de quibus suprâ medit. 7. hebdom. 3. Ad-
uent. Quanto stupore attoniti inflãma-
ti Seraphini se frigidos, Cherubini sci-

entia eminentissimi se ignorantes, alij alijs donis excellentissimi se in his imperfectos in comparatione huius diuini infantuli iudicant: imò quàm profunda cum humilitate nihilum suum agnorint, omnia sibi communicata gratis charismata illi accepta retulerint: quanto demum ardore in laudes huius diuinissimi mysterij proruperint, & hominibus de tanta præstita ijs gratia congratulati sint, simul concipientes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis*, totis viribus desiderando & fouendo, Deo ob hoc maximum Incarnationis & Redemptionis humanæ mysterium ab omnibus, omni possibili modo deferri, omnem possibilem gloriam, laudem, benedictionem, gratiarum actionem in æternum & ultra: & hominibus optando perfectissimam cum Deo, proximis, secum ipsis pacem, per hanc tantam filij Dei incarnati dignationem ipsis è cælo in terras allatam. Affectus admirationis, laudis, gratiarum actionis, congratulationis, & zeli gloriæ Dei, & salutis animarum subiungendi, & cum similibus affectibus Angelorum perfectissimis offerendi.